



Grabado por Juan Luis Salvador Carmona, en Madrid.

Psal.
44.

Graduale. Speciôsus forma præ filiis hóminum: diffûsa est grátia in lábiis tuis. *v.* Eructâvit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. Lingua mea cálamus scribæ velóriter scribéntis.

Psal.
92.

Allelúia, allelúia. *v.* Dóminus regnâvit, decôrem induit, induit Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se virtûte. Allelúia.

Séquentia sancti Evangélii
secúndum Matthæum.

Mat
th. 2.
b

In illo témpore: Defúcto Herôde, ecce ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël: defúcti sunt enim, qui quærébant ánimam púeri. Qui consúrgens, accêpit púerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël. Audiens autem quòd Archelâus regnâret in Judæa pro Herôde patre suo, tímuit illò ire: & admónitus in somnis, secéssit in partes Galilææ. Et véniens habitâvit in civitâte, quæ vocâtur Názareth: ut adimplerêtur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Psal.
92.

Offertorium. Deus firmâvit orbem terræ, qui non commovébitur: parâta sedes tua Deus ex tunc, à século tu es.

Secreta.

Concède quæsumus omnípotens Deus: ut óculis tuæ majestâtis munus oblâtum, & grátiam nobis piæ devotiônis obtineat, & efféctum beátæ perennitâtis acquirat. Per Dóminum.

De S. Telesphoro.

Secreta.

MUnera tibi, Dómine, dicâta sanctífica: & intercedénte beáto Telésphoro mártire tuo atque pontífice, per éadem nos placâtus inténde.

De S. Maria.

Secreta.

MUnéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsq; susceptis: & coeléstibus nos munda mystériis, & cleménter exáudi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Præfatio de Nativitate.

Communio. Tolle púerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël: defúcti sunt enim, qui quærébant ánimam púeri.

Mat
th. 2

Postcommunio.

Per hujus, Dómine, operatió- nem mystérii, & vítia nostra purgéntur, & justa desidéria compleántur. Per Dñm. nostrum.

De S. Telesphoro papa & martyre.

Postcommunio.

Refécti participatióne mún- ris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Telésphoro mártire tuo atque pontífice, sentiâmus efféctum.

Pro S. Maria. Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget à crimine: & intercedénte beáta vírgine Dei genitríce María, coeléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat.